

solvendi redactus non sit propria sua culpa aut dolo. Schmalzgrueber, *loc. et n. cit.* « Verumtamen (ita pariter docet Fagnanus) si clericus debitor esset in dolo, hoc beneficio non gauderet, (eo) quod dolosus non est admittendus ad beneficium. » Cap. Odoardus, *loc. cit.*, n. 44.

(79. IV. Ut clericus conveniatur ratione debiti in causa civili; quia super crimine criminaliter conventus, et ad poenam pecuniariam condemnatus, si solvendo non sit, non effugit carcerem, « sed quod in aere non habet, luere in cute debet. » Abbas, in *cit. cap. Odoardus*, n. 5; Schmalzgrueber, *ibid.*, n. 34.

(80. V. Ut conveniatur actione personali, nam conventus actione reali non potest uti hoc beneficio, quod personale duntaxat est. Fagn., num. 52; Schmalzgrueber, *ibidem*.

(81. VI. Ut recognoscat, et fateatur debitum; nam si hoc neget pertinaciter, et postea de eo convictus fuerit, privilegium istud allegare non potest. Pirrhing, *ad cit. tit. De solut.*, n. 23; Schmalzgrueber, *l. c.*

(82. VII. Ut praestet cautionem idoneam de solvendo, si ad pinguiorem fortunam pervenerit *cit. cap. Odoardus*; nam inopia et impotentia solvendi non exstinguit, sed tantum suspendit obligationem solvendi in tempus melioris fortunae. Idem Schmalzgrueber. *ib.*

(83. Porro « illud in praesentiarum advertere oportet, clericum semel ad beneficium h. cap. (Odoardus) admissum, non prohiberi iterum admitti, etiam post rem judicatam, et in executione sententiae, dummodo tamen beneficium h. cap. non se extendat extra diocesim petentis. » Barbos., *Collect. DD. in Decret.*, ad c. tit. De solut., c. 3, n. 4.

(84. « Amplia privilegium hujus textus extendi ad moniales, cum in eis detur paratio, quae in clericis, prout judicatum fuit in senatu Portugallensi, et in supremo supplicationis regni Lusitaniae. » Barbos., *l. cit.*, n. 5.

Verum privilegium, de quo hic locum non habet:

(85. I. « Ubi clericus esset debitor alicujus, qui esset pauperior ipso clerico. » Barbosa, *l. c.*, n. 7.

(86. II. « Quando clericus esset perjurus, et suspectus de fuga, et debitum descendere ex dolo; tunc enim poterit carcerari. » Idem, *ib.*, n. 10.

(87. III. « Limita (etiam) in clerico debitore ratione depositi penes se facti, quia adversus exactionem talis debiti non poterit opponere de privilegio hujus cap. » Barbosa, *ib.*, n. 13.

(88. IV. « Limita (quoque) in clerico, qui suscepit terminum, postquam fuit condemnatus ad solutionem debiti; namque ipse non poterit se laetari de beneficio hujus capituli. » Id., *ib.*, n. 14.

V. « Limita, quando clericus convenitur pro debito dependente ex delicto, vel quasi;

nam tunc et capi, et carcerari poterit. » Id., *ib.*, n. 15.

(89. VI. « Limita (pariter) in clerico dolo versato cum creditore, veluti si tempore contractus se finxit non esse clericum, altero contrahente id ignorante, aut abscondit de bonis, ne solveretur debitum creditori, vel pendente judicio super debito principali, bona in extraneos alienet gratia fraudandi creditorem... (Unde) Marc. Ant. Genuensis... resolvit, quod clericus, qui in fraudem creditorum bona consumpsit, non debet gaudere privilegio h. textus, sicut nec occultans illa, aut debita contrahens sub spe gaudendi hujusmodi privilegio. » Prælaud. Barbosa, *l. c.*, n. 17.

(90. VI. « Limita (etiam) in clerico hærede, non confecto inventario, qui non potest uti beneficio hujus cap. » Idem, n. 19.

(91. VII. Pari modo « Limita in clerico administrante bona aliena, ut quia fuisset tutor vel curator, et malam rationem reddidisset de administratis. » Idem, n. 22.

(92. Quæres, quinam clerici gaudeant privilegio h. cap.?

(93. Certum est gaudere hujusmodi privilegio clericos in majoribus constitutos, item minoristas, sed beneficium ecclesiasticum habentes; aut si isto careant, habitum et tonsuram clericalem deferentes, alicui ecclesiae ex mandato episcopi deserviant, vel in seminario, aut in studio aliquo generali versentur. Schmalzgrueber, *l. cit.*, n. 35.

(94. Dubium est de iis, qui in minoribus constituti, nulli ecclesiae serviunt, nec in studiis ex episcopi mandato versantur. Non conveniunt DD., quibusdam negantibus, affirmantibus aliis. Fagn., *cap. cit.* n. 24, 25, distinguit: nam si hujusmodi clerici in minoribus constituti, imo prima solum tonsura initiati, conjugati non sint, et habitum, ac tonsuram deferant, affirmat iis competere dictum privilegium, propter generalitatem cap. Odoardus. At si abjectis clericatus indicibus, publice se pro laicis gerant, aut conjugati sint, negat iis patrocinari privilegium allegatum; quia tales, licet characterem ordinis, indelebilem habeant, et retineant, in omnibus tamen ut laici reputantur. Schmalzgrueber *ib.*, n. 36.

(95. Quæres item, an clericus possit dicto privilegio renuntiare? « Verius est non posse renuntiare: ita communiter. Ratio est quia privilegium hoc non est privatus singulorum, sed publicus favor totius ordinis seu status clericalis, ne videlicet in opprobrium istius, clerici cogantur mendicare, aut alias sordide vivere; publici autem favoris renuntiatio nulla est, *l. Jus publicum* 38, ff. *De pact.* Proceditque hoc, etsi renuntiationi adjectum sit juramentum; quia juramentum hoc bono publico præjudiciosum est, et consequenter jurantem non ligat. » Schmalzgrueber, *ib.*, n. 39. Vide *Addit. Casinenses*, sub v. IRREGULARITAS, vers. *Inter crimina*, etc.

## SUMMARIUM.

1. Somnium quid sit. — 2. Assignantur secundum varios genera somniorum, ad num. 4. — 5. Secundum tamen posteriores theologos somnia dividuntur in divina, daemoniaca et naturalia. — 6. Divina somnia quæ sint. — 7. Assignantur varii fines divinorum somniorum ex sacra Scriptura. — 8. Et adducuntur multa alia divina somnia ex historiis sanctorum. — 9. Daemoniaca somnia quæ sint. — 10. Assignatur inventum daemoniacorum somniorum. — 11. Naturalia somnia quæ sint. — 12. Somnia naturalia proficiscuntur, vel a causa intrinseca somniantis, vel a causa illi extrinseca: intrinseca nascuntur quædam potissimum ab anima, et dicitur *causa animalis*; et quædam potissimum a corpore, et vocatur *causa corporalis*. — 13. Intrinseca causa animalis quæ sit? et assignantur varia somnia ex ipsa procedentia. — 14. Bonorum hominum somnia meliora sunt quam malorum. — 15. Intrinseca causa corporalis quæ sit? — 16. Extrinseca naturalis causa somniorum quæ sit. — 17. Species imaginabiles in somniis causatae producunt in somniantibus varios effectus, qui assignantur, et præsertim patent in noctambulantibus seu melius somnambulantibus. — 18. Traditur modus seu regula pro discernendis somniis an sint divina, an daemoniaca, an naturalia? — 19. Quando constat non esse somnia naturalia, et dubitatur an sint divina vel daemoniaca, tutius est ea cavere et contemni ut daemoniaca. — 20. Divinorum somniorum observatio est licita, at interpretatio convenit solum illis quibus a Deo facta est interpretationis revelatio. — 21. Daemoniacorum somniorum observatio, ut fraudes daemones caveantur, est licita, sed ad occulorum vel eventuum futurorum scientiam

(1. Somnium est phantasma in somno factum, id est apparitio phantastica in somno facta; ex Aristotele, lib. *De somno et vigilia*; sive visum, quod in somno apparet. Et ut ex Richelet habet Pontas, verb. *Somnium*, in princip. Somnium est motus vis imaginandi, quæ dormientis in sensibus exprimit formam rei effectæ conformem.

(2. Somnia ex Macrobio, lib. 1 *De somn. Scipion.*, quem sequitur Salisber, lib. 11, dividuntur in quinque genera, scilicet in insomnium, spectrum, somnium, visum et oraculum; sed Artemidorus, lib. 1, cap. 2, quinque ad duo revocavit, insomnium nempe et somnium; sub insomnio spectrum, sub somnio comprehendit visum et oraculum, quoniam hæc illud consequuntur. Sic refert Delrius, *Disquis.*, t. 11, lib. 14, cap. 3, quæst. 5, vers. *Macrobius*.

(3. Auctor libri *De spiritu et anima* (sive is sit Hugo Victorinus, sive alius) cap. 25, operis quinque somniorum genera enarrat, videlicet oraculum, visionem, somnium, insomnium phantasma. « Oraculum, inquit, est cum in somniis aliqua sancta gravisque persona, vel etiam Deus eventurum aliquid aperte, vel non eventurum, faciendum, vel evitandum nuntiat. *Visum* est, cum id, quod viderat quis, eodem modo, quo apparuerat, evenit. *Somnium* est quid figuris tectum, quodque sine interpretatione intelligi non potest. *Insomnium* est, cum id quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti, ut cibi cura, vel studium. *Phantasma* est, quando

seu cognitionem habendam, est illicita. — 22. Observatio et interpretatio somniorum naturalium habentium in suis effectibus connexionem seu adæquationem cum suis causis, est licita, sive causa intrinseca animalis, sive intrinseca corporalis. — 23. Quid, si causa naturalis somniorum sit extrinseca? — 24. Peccat graviter, qui ex somniis tam procedentibus ex causis intrinsecis, quam extrinsecis divinam futura contingentiam, aut quæcumque dependent ab humana voluntatis arbitrio. — 25. Unde est graviter peccaminosa omnis illa divinatione per somnia, qua ex ipsis prædicatur seu creditur aliquid eventurum, quod nullam prorsus habet connexionem cum illis. — 26. Et multo gravius peccant, qui nedum somniis sibi fortuito obvenerint firmiter credunt, sed et ipsa cum abusu rerum sacrarum ex animo procurant. — 27. Non est tamen culpandus peccati saltem mortalis qui, sine ulla superstitione et sortilegio, sed ex mera curiositate perquirat thesaurum absconditum sibi in somniis manifestatum. — 28. Item non est condemnandus peccati mortalis, qui dubitans, an thesaurus fuerit sibi manifestatus per defunctum apparentem, an per somnium, ipsum perquirat, nulla adhibita fide somniis. — 29. Nec sic est culpandus, qui nulla adhibita fide et habita superstitione, terram fodit ad inveniendum thesaurum sibi a dæmone indicatum. — 30. Similiter non peccat mortaliter observans somnia non omnino eis credens, sed tantum propter talia somnia aliquod de se non malum operatur, ut evitet quædam mala sibi in ipsis minata. — 31. Cavendum tamen semper est, ne firma præstetur similibus somniis fides, imo generaliter loquendo nulla est ipsis fides et observatio præstanda.

quis dormire cœpit, et adhuc se vigilare existimat, aspiceretque videtur irruentes in se, vel passim vagantes formas, aut lætas, aut turbulentas. » Sic habet Beyerlinck, *Theatr. vitæ humanæ*, verb. *Somnium*, fol. 348, litt. H.

(4. Sanctus Gregorius, lib. viii *Moralium*, cap. 13, et l. iv *Dial.*, cap. 48, « sex genera somniorum ex totidem causis orta commemorat; aut enim, inquit, ex plenitudine, vel inanitate corporis somnia existunt, aut ex antecedentibus diurnis curis, aut ex illusionibus daemones, aut ex cogitatione hominis simul et illusionibus daemones, aut ex revelatione Dei, aut denique ex cogitatione hominis simul et revelatione Dei, sicque rectissime, ut Delrius observat, *loc. cit.*, concl. 2, somnia tribus auctoribus ascribit; Deo, naturæ et daemoni. » (5. Unde posteriores theologii ea diviserunt in divina, daemoniaca et naturalia, quam divisionem, variis aliis relictis, et nos amplectimur.

(6. Somnia igitur divina, seu cœlestia, sunt illa quæ a Deo inspirantur, sive id faciat immediate per se, sive ministerio angelorum, ut plerumque accidit. Unde sanctus Thomas, 2-2, quæst. 93, art. 6, in corpore, sic ait: « Spirituales autem est quandoque quidem a Deo, qui ministerio angelorum aliqua hominibus revelat in somniis. »

(7. Divinorum seu cœlestium somniorum varii fines reperiuntur in sacra Scriptura. I. Ut quis a malo absterreatur, sicut factum

Abimelech, *Gen. xx*, et regi Meraræ et Labano, *Genes. xxxi*. Et id insinuat Job, cap. *iv*, numer. 13 et 14, ibi: *In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines, pavor tenuit me, et tremor, et omnia essa mea perterrita sunt*; et cap. *vii*, num. 14, ibi: *Terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties*. II. Ut adhortetur ad aliquod bonum, ut Gedeonem *Judic. vii*, et Judam, ejusque exercitum *II Machabæorum xv. III*. Ut moneat vel doceat quid agendum, ut B. Joseph *Matth. i et ii*, et tres magos *Matth. ii*. Et hunc finem indicat Job, cap. *xxxiii*, num. 15 et seq., ibi: *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperuit aures virorum, et erudiens eos instituit disciplina, etc.* IV. Ut spiritum prophetiæ, aut aliud spirituale donum simul largiatur, ut Joelis cap. *ii*, num. 28, ibi: *Effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri, et filie vestræ; senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt*. Et patet de dono sapientiæ et prudentiæ in somniis dato Salomoni *III Reg. iii*. Et de promissione obventuræ dignitatis Joseph *Genes. xxxvii*, et Mardocheo, *Esther xi. V*. Ut revelet aliquod mysterium, ut *Genes. xxviii*, aut alicujus reipublicæ, vel regni, seu imperii vicissitudinem, ut Israelis *Genes. xli. Ægypti et Nabuchodonosor Daniel ii et iv*.

(8. Ad hæc capita reduci possunt multa somnia divina, quorum in historiis sanctorum fit mentio, ut illa Africana apud Victorium Uticem., *De persecut. Vandalic.*, oblata Eusebio episcopo Carthaginensi. Item somnium oblatum monacho Cluniacensi Beatæ Virginis, tempore S. Odonis apud Joann. monachum, l. *iii Vita Odonis*, cap. 9. Item aliud Berthæmatri S. Suitberti apud B. Marcellinum cap. 4 *Vita S. Suitberti*. Item aliud S. Abramio confessori, *Metaphrast.*, in ejus *Vita*. Item aliud Henrico imperatori, Rupert., in *Vita S. Hereberti*, cap. 7, num. 26. Item aliud S. Hugoni Gratianopolitano apud Guidonem, in ejus *Vita*. Item aliud Theodosio imperatori, aliud Mauricio imperatori, aliud Arnobio rhetori, aliud Bardæ, aliud Eulogio apud Delrium, *Disquis. magicar.*, t. *III*, c. 3, q. 6, conc. 4, et multa alia apud Fulgosium, l. 1 *Exemp.*, c. 5, et apud Beyerlinck, *l. c.*, f. 285, § *Somnia divina*, et alia innumera apud alios.

(9. Dæmoniaca somnia sunt illa, quæ mali spiritus studiose dormientibus immittunt, vel ad perturbationes animi ciendas, ut libidinem, iram, odium, desperationem, vel ad occultorum aut futurorum significationem. Sic expresse Delrius *loc. cit.*, post conclusionem 4, vers. *Diabolica somnia*, et colligitur ex S. Gregorio, l. *viii Moral.* in cap. 7, Job cap. *xiii*, epist. 9, alias 115. S. Th., 2-2. q. 95, art. 6 in corpore; Blesensis, epist. 65, et alii passim.

(10. His dæmoniis somniis totum intentum malignorum et fraudulentorum illorum spirituum est homines ad peccata deducere, eosque præsertim incautos ac ignaros vanis superstitionibus imbuere, si eos aliquo-

rum somniorum eventu ad habendam ipsis fidem reducerint, sicque eos deceptos ad enormia, nefanda ac sacrilega crimina pertrahere, ut communis doctorum ac quotidiana experientia etiamnum docet.

(11. Naturalia somnia sunt illa, quæ communiter ortum ducunt ab affectione et dispositione animæ et corporis somniantis. Beyerlinck et Pontas, *loc. cit.*, et alii passim. (12. Et hæc somnia naturalia proficiuntur vel a causa intrinseca somniantis, vel a causa illi extrinseca. Intrinseca nascuntur quædam potissimum ab anima, et tunc dicitur causa animalis, et quædam potissimum a corpore, et vocatur causa corporalis.

(13. Intrinseca causa animalis est, quando somnia obveniunt de rebus, quibus cogitatio vigilantis valde fuit intenta, et per diem ipse somnians circa illas multum occupatus fuit, juxta illud *Ecclesiastes cap. v*, num. 2, ibi: *Multas curas sequuntur somnia*. Unde Lucretius, *Poemat.*, apud Beyerlinck, *loc. cit.*, fol. 286, § *Animalia*, sic habet:

In somnis eadem plerosque videmus obire,  
Causidicos causas agere, et componere leges  
Induperatores pugnare, et prælia obire:  
Nautas contractum cum ventis degere bellum;  
Et quo quisque fere studio defunctus adheret,  
Aut quibus in rebus multum simus ante morati.

(14. Et ad hæc pertinent somnia de rebus et personis, in quas odio, amore, timore aut spe vehementer afficimur; hine liberales, et benefici somniant se aliis largiri, mendici petere, cantores canere, philosophi disputare, avari pecuniam congerere, vindicativi de inimicis ulcisci, et alii alia similia. Unde Aristoteles, i *Ethicor.*, cap. 13, dicit bonorum hominum somnia meliora esse, quam malorum, propterea quod consilia, quæ ad virtutum officia exercenda sollicitè agitant, eadem eis in somno occurrunt.

(15. Intrinseca causa corporalis nascitur a præsentis dispositione, ac temperamento corporis, quod vel inedia exhaustum, vel crapula repletum, vel humore aliquo nimis prædominante ægrescit, vel alio interiore vitio laborat; unde ex variis his causis varia nascuntur somnia. Cholericis enim somniant colores flavos, rixas, jurgia, inimicitias, incendia, et hujusmodi; sanguine redundantibus rubentia, ignes, ustiones, hortos, convivia et læta omnia; melancholici funera, caliginem, tenebras, solitaria loca, nocturnas oberrationes, tetra spectra tristiaque cuncta; phlegmatici mare, aquas, balnea, navigationes, submersiones, tardam et impeditam a noxiis fugam. Qui viscido humore affectas obstructasque habent partes cerebri posteriores, illi comprimi ac suffocari videntur in somniis, et Latini vocant hunc *incubum* morbum. Qui sinceris purisque succis constant, somniant se volutari inter odoratos, suavesque flores, et econtra qui fetidis putridisque sunt repleti humoribus, somniant se versari in cloacis, sepulcris, sordidis ac cænosis locis.

(16. Extrinseca naturalis causa somniorum est, quando dormientis imaginatio ab agente extrinseco movetur. Hujusmodi autem agens est duplex; alterum est aer ambiens;

alterum impressio, sive influxus corporum cælestium; sicut enim corpora cælestia suo in materiam corpoream influxu varias formas lapidum, metallorum plantarumque gignunt, sic influendo in phantasiam, quæ organis corporeis est immersa, possunt a cælestibus corporibus produci species imaginabiles effectui a corporibus illis cælestibus promananti conformes, ut erudite suo more ratiocinatur doctissimus Delrius, *loc. cit.*, post conclusionem secundam, vers. *Naturalis extrinseca*. Unde ut habetur in *Lexico Medico Castello-Brunoniano*, verb. *Somnia*: «Somnia sunt operationes, quæ fiunt interdormiendum ab astris in homine.»

(17. Species imaginabiles in somniis causatae sunt quandoque in somniante adeo impressæ, ut distincta afferat verba, recte ad interrogata respondeat, aut e lecto surgat aliquid exterius facturum, tate etiam in locis periculosis perambulet, et denuo adhuc dormiens lectum repetat, ut patet de noctambulibus, seu melius somnambulibus, cum nedum noctu, sed etiam interdiu id accidat, ut observat *Lexicon Medicum Castello-Brunonianum*, verb. *Somnambulo*, referens quemdam celebrem olim somno meridiano indulgentem inter dormiendum surrexisse, deambulasse, cum conjuge locutum fuisse, a qua etiam rursus ad sellam, in qua dormiverat, reductus, paulum adhuc dormivit, evigilans deinde omnium plane fuit ignarus. Hæc ibi; nec desunt alia consimilia exempla.

(18. Pro discernendis somniis, an sint divina, an dæmoniaca, an naturalia, habendus est recursus ad patrem spirituales aliasque pias et instructas personas, ut suis consiliis ea dilucident, et in subsidium suis orationibus lumen pro eorum vera discretione et intelligentia a Deo exquirant. Sic communiter doctores cum S. Thoma, 2-2, q. 95, art. 7 in corpore: Hæc tamen retenta pro certa regula quod, quando Deus somnium immittit, solet simul hominem lumine interiori certum reddere hoc somnium a se profectum et cœlitus immissum fuisse, ut recte docet Delrius, *loc. cit.*, post conclusionem quintam, vers. *Discernere*; et relinquit ipsum hominem totum hilarem, humilem, devotum ac pium. Quando autem dæmon somnia immittit, talia somnia aut visiones habentes evadunt tristes, spiritu audaces, elati et superbi, impuri, ac omni malitiæ proclives, ut advertit Clericatus, *Nelle sue spiche*, verb. *Sogni*, num. 898. Tunc vero somnia sunt naturalia, quando mere procedunt a phantasmatibus in memoria motis ab operationibus diebus antecedentibus factis, aut intenta voluntate et desiderio diebus sequentibus faciendis, aut ab humoribus a stomacho elevatis ad cerebrum, ubi generantur somnia rerum extravagantium, ridicularum ac penitus infructuosarum, ut notat Clericatus, *loc. cit.*, num. 899.

(19. In summa, concludit doctissimus Delrius, *loc. cit.*, vers. *Discernere*, hoc est observandum, si constet neque ex animali, neque ex corporali causa somnium fuisse na-

tum, sicque non esse naturale, dubitetur autem adhuc utrum sit a Deo vel a dæmone? tutissimum est, si ut a dæmone immissum caveatur et contemnatur juxta illud *Ecclesiastici cap. xxxiv*, num. 6 et 7, ubi traditur esse contemnenda extrinseca somnia, quæ non constat a Deo fuisse immissa, ibi: *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis*.

(20. Divinorum somniorum observatio licita est, at interpretatio solis convenit illis quibus a Deo facta est interpretationis revelatio. Delrius, *loc. cit.*, concl. 5, et alii communiter. Prima pars de se patet, quia somnia divina nobis immittuntur a Deo, ut ea observemus, ac ab ipsis instruamur, moneamur et corrigamur. Secunda pars habetur ex *Daniele cap. ii*, num. 27, ibi: *Mysterium, quod rex interrogat sapientes, magi, arioli et aruspices nequeunt indicare regi, sed est Deus in cælo revelans mysteria, qui indicavit tibi; et ibid.*, num. 30, subjungit: *Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quam in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est, sed ut interpretatio regi manifesta fieret; et I ad Corinth.*, c. v, num. 11, ibi: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*.

(21. Dæmoniacorum somniorum observatio, ut fraudes dæmonis caveantur, est licita, sed ad occultorum, vel eventuum futurorum scientiam, seu cognitionem habendam, est illicita. Sic expresse Delrius, *loc. cit.*, conclus. 4, et alii passim. Prima pars de se patet; quia hoc est animæ valde salutare, et aliquando necessarium, ut sic dæmonis fraudulentæ astutiæ eludantur, et peccata, ad quæ per ipsas nos intendit inducere, evitentur. Secunda pars probatur, quia hoc est Dei lege prohibitum *Levit. c. xix*, num. 26: *Non augurabimini, nec observabitis somnia; Deuteron. cap. xviii*, num. 10, ibi: *Nec inveniatur in te qui... observet somnia; et Ecclesiastic.*, cap. xxxiv, num. 6 et 7, per verba adducta *supra*, num. 19. Tum quia non potest horum interpretatio citra miraculum haberi, nisi ex pacto implicito vel explicito, cum dæmone, quod est omnino illicitum, dicente expresse Apostolo *I ad Corinth.*, cap. x, num. 20: *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum*.

(22. Observatio et interpretatio somniorum naturalium habentium in suis effectibus connexionem seu adæquationem cum suis causis, est licita, sive causa sit intrinseca animalis, sive intrinseca corporalis. Sic Delrius, *l. c.*, concl. 3, et communis aliorum cum S. Thoma, 2-2, q. 95, art. 6 in corpore. Prima pars, quando videlicet causa est intrinseca animalis, clare patet: Si enim quis sit lascivus somniis, fœdisque illusionibus inquinatus, potest, imo debet causam talium somniorum inquirere, et cognoscens ipsa provenire ex quo obscenis lectionibus, libidinis cogitationibus aut turpibus colloquiis operam dederit, debet similes lectiones, cogitationes et colloquia cavere, ac vitare, et sic de

similibus. Secunda pars, quando scilicet causa est intrinseca corporalis, est etiam de se clara, nam ut docent Aristoteles, lib. *De divinatione per somnia*, cap. 1, et Hippocrates, lib. *De insomniis*, et 6 *Epid.*, et S. Thomas, cit. quæst. 95, art. 6 in corpore, et alii passim admonent medicis notanda et expendenda esse ægrotantium insomnia seu somnia, ad eorum morbos dijudicandos et curandos. Ex ea namque observatione satis probabilem de qualitate morbi conjecturam eliciunt, et qui humores intus lateant qui eorum defectus, vel exsuperantiæ sint, dignoscunt; si quis enim somniet de occupationibus igneis, signum est cholerae prædominantis; si de aereis, sanguinis abundantis; si de aqueis, multi phlegmatis, si de terreis, melancholici, et sic de similibus, et ideo potes licite sibi per congruentes medicinas præcavere. Qua de re Galenus, lib. *De præsgio exsomnia sumendo* refert, quod cum quidam somniasset alterum crus sibi factum lapideum, mox ea corporis parte paralyticus evasit.

(23. Si causa naturalis somniorum sit extrinseca juxta dicta *supra* n. 16, et talis causa non sit tam a somniante remota, quin possit ab illa naturaliter affici et pati, tunc dicta somnia includunt aliquid probabilitatis, adeoque observari et interpretari licite possunt, ut patet de podagricis et herniosis, qui possunt affici et pati a causis futuræ cras pluvie, sicque de illa aliquod suum somnium interpretari. Secus autem dicendum est, si causa extrinseca sit adeo a somniante remota, ut non possit ab illa naturaliter affici et pati: sic enim, cum non potest quis hic hodie affici et pati a causis futuræ pluvie post triennium propter temporis distantiam, nec a causis futuræ statim pluvie in Moscovia propter loci intercapedinem, non potest de tali pluvia aliquod suum somnium interpretari, cum causæ hujusmodi nihil pertineant ad ipsius corporis temperamentum et dispositionem, nihilque possint in ipso agere seu operari, adeoque somniorum a similibus extrinsecis causis provenientium observatio est penitus incerta et fallax. Et si aliquando respondeant eventui, id a casu fit vel ab intelligentia quapiam revelatur, ut recte observat Delrius, *l. c.*, post. concl. 3, vers. *Quando naturalis causa est extrinseca*.

(24. Peccat graviter, qui ex somniis, tam procedentibus ex causis intrinsecis, quam extrinsecis, divinans futura contingentia, successus fortuitosque casus, aut quæcunque dependent seu manant ab humano arbitrii voluntate, sive somniantis, sive alterius. *Communis*. Et ratio est, quia hæc non dependent a causis naturalibus, aut temperamento corporis, nec ab astris, cum nullam habeant naturalem connexionem cum illis; et omnis similis divinatio est expresse prohibita, tum ex sacra Scriptura *Levitic. xix; Deuteronom. xviii; Isaie xlvi; Ecclesiastici xxxiv*; et ex cap. *Illud*, cap. *Illos*, cap. *Sed et illud*, caus. 26, quæst. 5, et præcipue in

constit. Sixti V, incip. *Inscrutabili iudicio-rum*.

(25. Unde est graviter peccaminosa omnis illa divinatio per somnia, qua ex somniis prædicatur, aut creditur aliquid eventurum, quod nullam prorsus habet connexionem cum illis. Eodem enim modo est loquendum de divinatione per somnia, ac de divinatione per astra, quæ est prohibita, etiamsi tales divinatores id non certo affirmare asserant, et protestentur, ut expresse dicit Sixtus V, in cit. constit. incip. *Cali et terræ creator*.

(26. Hinc caveant illi qui, nedum somniis sibi fortuito obvenientibus firmiter credunt, sed et ipsa cum abusu rerum sacrarum, eas nocte capiti in lecto supponentes, vel alibi reponentes ex animo procurant atque expectant ut ex iis inde divinent nomina in ludis vulgo seminariorum dictis sortitura. Proh dolor! quot in istis crimina, quot sacrilegia, quot diabolica sortilegia!

(27. Non esset tamen culpandus peccati saltem mortalis, qui sine ulla superstitione et sortilegio, sed ex mera curiositate pergeret ad locum thesauri absconditi sibi in somnis manifestati, ibique terram effoderet, quia videtur id tantum esse actus levitatis et vanitatis. Sic Henno, tom. I, tract. in *Decalogum*, disp. 1, q. 4, art. 5, concl. 4; La Croix, lib. III, part. I, tract. 1, cap. 1, dub. 2, num. 10; Tamburinus, lib. II, cap. 6, § 1, n. 22, ubi, ut etiam ex ipso refert La Croix, *loc. cit.*, dicit hominem in somno sæpius admonitum, ut certo loco terram effoderet, sicque reperiret ollam auro plenam, non peccasse graviter, quamvis deceptus sit, et invenerit ollam plenam nigris carbonibus.

(28. Item non esset condemnandus peccati mortalis, qui dubitans an thesaurus fuerit sibi manifestatus per defunctum apparentem, an per somnium, terram effodit, ut rei veritatem detegat, nulla tamen fide somniis adhibita. Sic expresse Henno, *loc. cit.*, et alii. (29. Nec sic esset culpandus, qui nulla adhibita fide et habita superstitione, terram foderet ad inveniendum thesaurum ibi sibi a dæmone indicatum, quia non videtur peccaminosum uti scientia a dæmone accepta, ubi saltem non fuit ab eo explicite aut implicite petita, nec ullus intercessit ad eum recursus. Sic expresse Henno, *loc. cit.*; Lessius, in *Auct.*, verbo *Magia*, cap. 6; La Croix, *loc. cit.*, dub. 3, num. 25 et alii.

(30. Similiter non est mortale observare somnia, quando quis non omnino credit rem in somnio sibi ostensam esse veram, sed futuram, sed tantum propter tale somnium aliquod de se non malum operatur, ut evitet mala sibi in somnio minata. Sic Suarez, *De relig.*, tom. I, tract. 3, lib. II, cap. 13, num. 25; La Croix, *loc. cit.*, dub. 2, num. 10; Tamburinus, *loc. cit.*, et alii. Et ratio est, quia licet ibi sit aliqua levitas, vel simplicitas, aut nimia timiditas, tamen non apparet gravis malitia, quia, ut expresse dicit La Croix, *loc. cit.*, non tam credit illud

esse a Deo, aut ideo esse verum, quam posse aliunde esse verum.

(31. Cavendum tamen semper est, ne firma præstetur similibus fides: imo generaliter loquendo nulla est ipsis fides, et observatio præstanda ex *Levit. c. xix; Deuter. c. xviii; Isa. c. xlvi; Ecclesiast. c. xxxiv*; et ex dictis *supra* n. 19, 21, 23 et 24. Unde monet *Ecclesiastes*, cap. V, num. 6, quod *ubi sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri, tu vero Deum time*; et *Ecclesiasticus*, cap. xxxiv, num. 1 et seqq., quod *Somnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, sic et qui attendit ad visa mendacia*; et *ibid.*, num. 7, subjungit, quod *multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in*

## SOMNUS.

## SUMMARIUM.

1. Somnus quid sit? — 2. Somnus quomodo causetur? — 3. Cibi, qui plurimum vaporem sursum efferunt, somniferi appellantur, et qui pluribus abundant humoribus, procliviores sunt ad somnum. — 4. Somnus alius diurnus, alius nocturnus. — 5. Somnus diurnus alius antemeridianus, qui tolerabilis est, nec omnino noxius. — 6. Et alius meridianus, seu pomeridianus, qui si sine debitis cautionibus capiatur, valetudini non parum nocet. — 7. Afferuntur mala, quæ gignere solet somnus pomeridianus sine debitis cautionibus captus. — 8. Assignantur cautiones adhibendæ in tali somno ad dicta mala evitanda. — 9. Aptissimum tempus pro somno ca-

(1. Somnus, secundum Aristotelem, lib. *De somno et vigilia*, est ligamentum omnium sensuum ad animalis quietem et salutem institutum. (2. Obstruentibus enim vaporibus e ventriculo ascendentibus ad caput sensus communis aditum, iisdemque cerebri membranarum opplentibus, sicque quasi ligatis internis ac externis sensibus, anima et corpus sine ulla operatione quiescunt, donec consumptis dictis vaporibus ipsi interiores et exteriores sensus soluti, pristinam suam operativam virtutem recuperent seu reassumant. (3. Unde cibi illi, qui plurimum vaporem sursum efferunt somniferi appellantur, et phlegmatici, alii-que abundantioribus repleti vaporibus seu humoribus uti et infantes ad somnum procliviores redduntur. Sic ex Aristotele Beyerlinck, *Theatr. vitæ humanæ*, verb. *Somni causa efficiens*.

(4. Somnus quoad tempus ipsum sumendi, alius est diurnus et alius nocturnus. (5. Diurnus rursus duplex est, alius antemeridianus, qui fit jejuno ventriculo, qui tolerabilis est, nec omnino noxius, cum tunc vacuo ventre et materia exhalationum non suppetente, mala, seu morbi non obrepant. (6. Alter meridianus seu pomeridianus qui, si sine debitis cautionibus capiatur, valetudini non parum nocet. Unde apud Plautum, in *Mostell.*: « Non bonus somnus est de prandio, » et Schola Salernitana: « Si vis vivere sanum, fuge somnum meridianum. »

*illis*. Quod et revera docet experientia: nam eos, qui curiose ad somnia attendunt, somniorum interpretatio subsequuta in gravissimas calamitates, et in interitum præcipites egit, ut Agamemnonem Homericum, Cyrum Persarum regem, Xerxem, Onomarchum, Antigonom et Pompeium, teste Delrio, *l. cit.*, post conclusionem quintam, vers. *Discernere* in fine. Nec desunt, et utinam deessent, recentiora exempla eorum, qui bona temporalia, corpus et animam ex nimia, superstitiosa ac sacrilega somniorum observantia misere perdidit.

Vide verb. PONTIUS PILATUS, ubi de somnio ab ejus uxore habito nocte Passionis D. N. J. C.

piendo est nocturnum. — 10. Arguuntur noctu vigilantes, et diu dormientes. — 11. Somnus appellatur filius noctis. — 12. Suavior et sanior evadit somnus nocturnus, si cœna hominis fuerit sobria. — 13. Quamvis sanior sit somnus nocturnus, homines tamen noctu dediti studiis et orationibus etiam diurnum somnum capere consuescunt exemplo ad id Jesu Christi. — 14. Quoties horis sit somnus capiendus. — 15. Somnus variis epithetis a Tertulliano laudatur. — 16. Somnus a Paulo IV Summo Pontifice vocabatur donum Dei. — 17. Afferuntur quidam versiculi de somno. — 18. Solimanus Turcarum tyrannus putavit se evitare perjurium occidendo dormientem Ibrahimum, quem jurejurando promiserat non occisurum viventem.

(7. Somnus enim pomeridianus cibos in ventriculo non concoquit, sed corrumpit, ructus flatusque parit, cerebrum multa crassa, mordacique humiditate atque fuligine replet, unde gravedines, oscitationes, pendulationes, vertiginæ, catarrhi, capitis dolores, angina, apoplexia, incubus, epilepsia, paralysis et alii morbi frigidi atque mortiferi promanant. (8. Nonnulli tamen certis cautionibus adhibitis mitiora, ac minime periculosa illa sibi efficiunt, primum consuetudine, et longo usu, deinde non protinus a cibo, neque capite demisso dormiendo. Præterea vel somno plenius indulgendo, vel parum longo utendo, postremo non subito, nec raptim, sed paulatim vigiliam revocando. Sic ad litteram Beyerlinck, *loc. cit.*, § *Tempus*. (9. Ubi subjungit, quod aptissimum somno tempus est nocturnum, propterea quod ipsum noctis silentium quietem advocat, et circumfusi aeris frigiditate innatus calor facilius sese colligit, et ad interiora revocat, cum somnus, ut Aristot., cap. 3, *De somno et vig.*, asserit, antiperistasis quædam sit naturæ conveniens. (10. Unde Seneca, lib. xxii, epist. 123, eos reprehendit, qui ut quidam in eadem urbe antipodes, noctes vigilant, dies dormiunt, quos appellat *lychnobios*, id est *lucernarios*, atque ejusmodi homines contra naturam vivere. Quod factitasse Heliogabalum imperatorem testatur Lampridius, in ejus *Vita*.

(11. Unde somnus appellatur filius noctis,